



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorvm Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. LXXIX. Deus, uenerunt gentes in hereditatem tuam, &c. Carm. gen.
3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Sola sibi è cunctis electa habitacula terris.

Deseruitq; sui monumentum fœderis arcam

Hostibus in prædam: monumentū roboris, unde

Clara Dei in cunctas splendebat gloria terras.

Hos ferro, terræ iratus sibi nuper amatæ,

Obiecit, flammis alios: cecidere cruento

Ense sacerdotes: non connubialia festis

Carmina sunt cantata toris, cariq; mariti

In deploratis uiduæ iacuere sepulcris.

Ast ubi iam pœnis meritam satiauerat iram,

Ceu crapula excusa miles, lentoq; sopore

Excitus, arma iterum fugientes uertit in hostes:

Tergaq; uulneribus figens imbellia cæcis,

Perpetuam aspersit uentura in sæcula labem.

Non tamen Efræmū præstantē fortibus armis

Elegit, cui sceptræ daret: non ille Manassæ

Pignora: sed Iudam, sed celsæ testa Sionis,

Templa sibi & solido fundata sacraria saxo,

Cumq; polo & stellis mansurā in sæcula sedé.

Quiq; lequebatur pecudes in pascua Dauid,

Sustulit è caulis, caram & sibi pascere gentem,

Impositum solio, & sanctæ ius dicere terræ

Iussit: & ille gregem studio curaq; fideli

Rexit, & infestis defendit ab hostibus armis.

PSAL. LXXIX. Deus, uenerunt gen-
tes in hereditatem tuam, et c. Carm. gen. 3.

HErreditatem, rector orbis, cur tuam

Inuadit hostis impius?

Ritu profano polluit sacraria

Tuo dicata nomini,

Soloq;

Dauid in
regē electy.

Solōq; strata m funditus Solymam suæ
 Tegit ruinæ molibus.
 Truncata ferro membra te colentium
 Passim per agros obiacent,
 Lanianda rostris uultuim, crudelibus
 Aut belluarum dentibus.
 Riuī cruentis perlunt uias, uelut
 Torrens adauctus imbris.
 Nec usquam amicus ossa sparsa qui legat,
 Aut lecta tumulis obruat.
 Functi q; fato pariter & superstites
 Ludibrio accolis sumus.
 Parens benigne, quem modum tandem tuæ
 Speremus iracundiae?
 An continenter instar ignis omnia
 Vorantis in nos læuet?
 Tur furoris uerte potius impetum
 In impiarum gentium
 Tot regna, nomen quæ tuum uel nesciunt,
 Vel si sciant, non inuocant.
 Semen piorum quæ laborant perdere
 Armis, & urbes ignibus.
 Reuocando uetera, parce genitor, crimina,
 Faces furori subdere.
 Sed penè cunctis obrutos malis, tua
 Nos præueni clementia.
 Offensionum mitis obliaiscere,
 Nostræ salutis anchora.
 Placatus adsis, splendor ut cunctis tuæ
 Clarecat oris gloriæ:
 Os obstruatur impijs, querentibus
 Num

Num noster hic cesseat Deus.
 O iuste uindex, impios exercitos
 Pœnis uicissimi cernere
 Fac nos, crux qui piorum fôrdidi
 Nunc insolenter gestiunt.
 Audi gementes carcerum qui uinculis
 Marcent: potente dextera
 De fauce mortis libera quos cædibus
 Iamiam tyranni destinant.
 Et quam intulerunt contumeliam tibi,
 Et quam tuis iniuriam,
 Multiplicatam redde nostris accolis,
 Rerum perennis arbiter.
 Et nos, ouilis grex tui, quem pabulo
 Alis, tueris numine.
 Et posterorum posteri laudes tuas
 Cunctis canemus sœculis.

PSAL. LXXX. Qui regis Israel, inten-
de: qui deducis uelut ouem, &c.

Carm. gen. 16.

HEBRAE generis pastor, uti gregem,
 Blande progeniem qui regis Isaci,
 Inter qui geminos aligeros tuo
 Præscribis populo iura salubria:
 Selectæ soboli da bonus ac fauens
 Lumen posse tuæ cernere gloriæ,
 Da uim posse tuæ nosse potentiaæ:
 Ac fessis properè porrige dexteram.
 Tu nos si placido lumine uideris,

Cedent